



**COLLATIO-||NVM SACRARVM|| LIBRI VIII.|| Tilmanni
Bredenbachij S. Th. D.||**

Bredenbach, Tilmann

Coloniae Agrippinae, 1592

VD16 B 7378

9. De Episcopo quodam Ariano, qui cum Ecclesiam peteret, quam suo errori dedicaret, negatamq[ue] illam sibi irrumpere vellet, cæcitate percussus est.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65002)

orem retulit de Basilij virtutibus : quas ille admirans glorificabat Deum, per ipsum De- fensorem multam illi largiens pecuniam in usus egenorum . Basilius autem Imperatoris magna dona recipiens, exstruxit domos ho- spitales languentium, siue nosocomia, tum in urbe, tum in quaque prouincia præfecturæ, in refectionem ægrotorum : in iisque condidit grandem virorum, mulierum, puerorum mul- tudinem, curam illorum gerens, & tribuēs, quæ ad illos reficiendos pertinerent. His verò cognitis, Imperator multa cōtulit ad illorum sustentationem, Christi sacerdotem haud se- cus atque parentem colens.

D. Gregorius Magnus libr. 3. Dialogor. cap. 29 De Episcopo quodam Ariano, qui cum Ecclesiam pe- teret quam suo errori dedicaret, negatamque illam sibi irrumperet vellet, cæcitate percussus est.

CAP. IX.

Cum ad Spoletanam urbem Longobar- dorum Episcopus, scilicet Arianus ve- nisset, & locum illic ubi solennia sua ageret non haberet, cœpit ab eius ciuitatis episcopo Ecclesiam petere, quam suo errori dedicaret. Quod cum valde Episcopus negaret, idē qui venerat Arianus B. Pauli Apostoli Ecclesiam illic cominus sitam se die altero violenter in- traturum esse professus est . Quod eiusdem Ecclesiæ custos audiens festinus, cucurrit.

G g 5 Eccle-

Ecclesiam clausit, seris muniuit. Facto autem vespere, lampades omnes exstinxit, sequē in interioribus abscondit. In ipso autem subsequenti lucis crepusculo Arianus Episcopus collecta multitudine aduenit, clausas Ecclesie ianuas effringere paratus. Sed repente cunctae simul portae diuinitus concussae abiectis longius seris apertae sunt, atque cum magno sonitu omnia Ecclesiae claustra patuerunt. Effuso de super lumine omnes, quae exstinctae fuerant lampades accensae sunt. Arianus vero Episcopus, qui vim facturus aduenerat, subita cecitate percussus est atque alienis iam manibus ad suum habitaculum reductus. Quod dum Longobardi in eadem regione positi omnes agnoscerent, nequaquam ulterius praesumpserunt Catholica loca temerare. Mirum enim modo res gesta est, ut quia eiusdem Arianus causa lampades in Ecclesia B. Pauli fuerant exstinctae, vno eodemque tempore & ipse lumen perderet, & in Ecclesiam lumen rediret.

Nicephorus Callistus lib. 15. cap. 4. & 5. Eccles. historis. De iudicio fidei Christianae à Catholicis simul & hereticis, ad arbitrium martyris Esphemiae defunctae relato, quae per illustre miraculum heretica prauitate reiecta, orthodoxorum sententiam approbat.